Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

hec putant: et se hos esse dignos. Quod si honorabilia bona omnia sint: necesse est uirtutes huiusmodi esse: ac quecumque alia utilia: et ad benefaciendum apta. Qui benefacientes omnes atque prosos similiter honorant. Insuper ea bona quibus fruuntur. Vt diuitie ac forma magis quam sanitas. Hinc etiam patet qui sint apti ut eos emulent. Sunt enim qui hec talia quoque possident uelut fortitudinem sapienciam principatum. Nam principes multis beneficia possunt: ut duces oratores omnes: qui talia possunt. Preterea ij quibus multi uellent silos esse: aut quibus multi sint noti: aut amici multi: aut quos multi admirantur: aut quos ipsi. Ad hec quorum laudes uel a poetis uel a scriptoribus decantantur. Hos igitur emulantur: contrarios uero contemnunt. Contemptus enim emulationi contrarium est. Emulari quoque atque contemnere contraria. Est autem necessarium: ut qui sic se habent: ut non nullos emulentur: aut ipsos alij: hos aptos esse ad eos contemnendos: qui ea mala habeant: que bonorum emulabilium contraria sint. Qua propter sepe numero contemnunt fortunatos: cui absit honorabilibus bonis adest eis fortuna. Quibus igitur rebus affecti mouentur: et quibus dissoluuntur. Vnde fit fides dictum est. Quales uero quidam moribus affectibus: habitibus: etatibus: ac denique fortunis sint: deinceps scribamus. Et

De affectibus et habitibus juuenum. Capitulum 12.

Affectus autem dico iram: cupiditatem: cetera quoque huiusmodi: de quibus iam diximus. Habitus uero uirtutes ac uitia: de quibus etiam dictum est: et ad hec que singuli eligunt quorumque actiui sunt. Etates uero sunt: iuuentus: uirilis: senectus. Fortuna autem appello: nobilitatem: diuitias: potentiam et horum contraria. Et uniuersalis secundam et aduersam fortunam. Iuuenes ergo moribus huiusmodi sunt: ut aptissimi adcupiendum sint: potentes quoque facere quecumque cupiant. Maxime autem ex cupiditatibus eius sequaces sunt: que rebus uenereis est. Et in hac incontinentes. Mutabiles uero sunt: in cupiditatibus: cito quoque fastidientes. Et uehementer quidem cupiunt: cessant autem cito. Voluntates enim acutas

hinc et nisi magnos